



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sacerdote signato, quem diabolus, edito sermone à quodam
praedicatore crucis, inuasit, cap. 10

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Intentur ex hoc, si sine humilitate in psalmodia voces exaltentur. Audi nunc exemplum satis terribile de superba, & lucratiua prædicatione.

CAPVT X.

EO tempore, quo Oliuerus Scholasticus Coloniensis, cuius in distinctione secunda mentionem feci, crucem prædicauit inter Brugas & Gandauū ciuitates Flandriæ, venit ad fratrem Bernardum monachum nostrum, qui tunc comes erat verbi, & collega eiusdem Oliueri, Sacerdos quidam Segerus nomine, in habitu religioso, cappam habens in pectore signatam, quasi Templarij: erat autem facie pulcher, statura procerus, atque in suo idiomate satis facundus. Hic cum obtulisset iam dicto Bernardo geminam diuersi coloris, & dixisset se illam attulisse de Septia & tantæ esse virtutis, vt victoriosos efficeret, qui ea vterentur. Respondit ille: Domine, vestra non recipiam, si potero vos apud magistrum rationabiliter promouere, bene experiemini. Ad hoc videbatur laborare, vt haberet auctoritatē ab illo prædicandi. Eadē die concessum est ei sermonē facere ad populum. Sequenti die, cum præfatus Bernardus in proxima statione verbum exhortationis proposuisset turbis, & Segerus adesset, finito sermone, idem Segerus pronus in terram corruit, & quasi obsessus, sicut reuera fuit, omnes sui corporis gestus formauit. Mox accurrens magister Oliuerus cum clericis, hominem signauit, & in ecclesiam tractum coram altari deposuit, vbi multas blasphemias, & verba quædam horribilia miser ille in Deum & in eundem Oliuerum euomit. Tunc corio ligatus, curruque impositus, ad notos suos deportatus est; quem, vt aiunt, demon quinta die, prout ei promiserat, extinxit. Ex cuius vexatione seu morte satis datur intelligi, quod eius prædicatio non fuerit deuotionis, sed magis ambitionis. Dicitur & apostata fuisse, & à domino Papa literas, vt eum provincia toleraret, obtinuisse. Alij dicebāt, quod etiam fuerit in naue illa excommunicata, quæ Sarracenis arma bellica vendiderat in Septia. **APOLLONIYS:** Miror quare Dominus in isto

Cōcionari ob uanam gloriam.

** Alia le-
ctio habet
Seucia.*

in isto

in isto huiusmodi contemptus tam acriter vindicauerit, cum tales sint hodie plures sacerdotes Christi sacrosancta mysteria indignissime tractantes, & tantum per occasionem illum predicantes. CÆSARIUS: Ad terrorem arbitror esse factum aliorum sacerdotum, tum ne fermentarent illam purissimam predicationem crucis, quæ fuit ad honorem Christi, tum propter merita iam dicti Oliueri. Quam durè Christus tunc temporis vindicauerit dolos & iniurias sibi in predicationibus illatas, habes exemplum distinctione secunda capite vij. de Godescalco usurario, qui dispensatorem dolosè circumuenit: habebis & aliud in cap. sequenti de superba vetula, quæ magnum Arnoldum, prædicti Oliueri discipulum, predicantem subsannauit.

CAPVT XI.

*Iriidens
cõtionan-
tem pu-
nitur.*

CVM esset idem Arnoldus Pastor in Bùrgende, quæ est villa Duentiæ, & in die Apostolorum Petri & Pauli, eius paræciani ludum quendam annum in choreis & musicis instrumentis recolerent, ipse iam habens predicandi auctoritatem, cum cruce ad choream accessit, & vt à ludo diaboli recederent, omnes monuit, rogauit, & præcepit. Qui cum in eodem loco predicare cõpisset, quidam obediētes ad predicationem eius venerunt; alij cum indignatione recedentes, contra choream steterunt: nonnulli in sua pertinacia permanserunt: inter quos erat vetula vna stulta & superba, quæ quoties ante sacerdotem Domini in chorea circumuendo venisset, contra illum respiciens cantando subsannauit: quæ infra triduum subito est defuncta; quam vir sanctus sic defleuit, ac si eam extinxisset. Per vitium superbiæ multos diabolus tentat, vnde studendum omnibus, religiosiis maximè & claustralibus, vt sic se in verbis, in gestibus, in vestimentis, & in cæteris omnibus, quæ ad vsum exteriorē pertinent, exhibeant, ne apud seculares in vitio superbiæ notabiles fiant.

CAPVT